



TABULA I.

DE

NATURA ET CONSTITUTIONE METAPHYSICES. (α.)

1. ETYMOLOGIA & ORIGO VOCIS, quæ quidem ipsa apud Aristotelem non legitur, putatur verò vel à Theophrasto (ρ) vel ab Andronico Rhodio, qui Aristotelis libros restituit, & in ordinem redegit, mansisse. Hinc inscriptio librorum eorum talis habetur: Ἀριστοτέλεος περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικά, quæ verba postea in UNAM VOCEM coaluerunt. Quemadmodum autem prepositio μετὰ varias habet significationes, ita quoque vox ipsa composita (Metaphysica) diversimodè potest explicari. Metὰ (1.) idem est ac post, & cum Metaphysica idem sonat ac scientia post naturalis, quia post Physicam inventa est (γ) & tractat res quoad cognitionem nostram à sensibus incipientem rebus physicis posteriores, nempe ipsa universalis à sensibus remotissima, & propterea intellectu difficillima. (2.) Metὰ idem est ac supra, & sic Metaphysica idem est ac supra Physica, ratione sc. Objecti, quod rebus Physicis Prædicatione & Perfessione superius est, ipsa enim agit de rebus universalissimis, quæ tanquam superiora de rebus singularibus prædicari possunt, & de DEO & Angelis, quæ perfectione superant reliqua entia. (3.) Metὰ idem est ac TRANS, hinc Metaphysica dicitur scientia Transmundana, quia tractat ea, quæ transcendunt ea, quæ in scientiâ naturali tractantur, idque fit duobus modis Universalitate & Dignitate. (δ)

PHILOSOPHIA PRIMA I. I. Phys. t. 83. Sic dicitur non ratione inventionis, sic enim ultima est, sed quia agit de Primo & nobilissimo Ente, nempe DEO, de primis principiis, ut & de Universalissimis, quæ priora sunt QUOAD NATURAM minus universalibus. (ε)

2. Prima scientia I. XI. Metaphys. c. 7.

3. PHILOSOPHIA ABSOLUTE, quia est primaria pars Philosophiæ, cum agat de DEO rebusque divinis: Cæteræ Philosophiæ partes dicuntur Philosophia non nisi cum addito, ut dicantur vel partes Philosophiæ, vel Philosophia secunda & naturalis, ut Physica, vel Philosophia practica & civilis, ut Ethica & Politica. (ζ)

4. THEOLOGIA, 5. Met. 1. quia inter alia etiam de DEO (tanquam objecto non quidem ADÆQUATO sed PARTIALI) agit, quoad ejus essentiam & attributa ex principiis naturæ cognoscere valemus. (η)

5. SAPIENTIA, I. Met. 2. Sunt autem sex sapientiæ conditiones, sive ut Aristoteles appellat, ὑπολήψεις, ἀς εἶχομεν περὶ τὸ σοφόν i. e. Sex opiniones, quas de Sapiente accepimus. (1.) Omnia scire, non quidem in PARTICULARI & quoad PRÆDICATA PROPRIA, quibus deducimur in distinctam rei cognitionem, sed in universali & quoad prædicata communia. (2.) Difficillima scire, quæ conditio fluit ex priori; si enim sapiens cognoscit omnia in Universali, sive prædicata Universalissima omnium rerum, sequitur quod cognoscat difficillima, cum Universalia sint difficillima, siquidem à sensibus sunt remotissima. (3.) Accuratior esse, quia sapientia est scientia accuratissima, versatur enim circa prima v. gr. primas rerum causas & consequenter circa PAUCIORA, in quibus non tam facilis est lapsus, quam in pluribus. (4.) Aptum ad docendum esse; docere enim est rem EX CAUSA SUA ostendere: Sapientia autem explicat rerum causas, E. per illas facilius potest docere. (5.) Sapientiam sui gratiâ atque ad eam propter ipsum SCIRE maximè expetendam: quia habet nobilissimum objectum. (6.) Aliis præesse potius, quam ministrare. Quod fit, quando sc. terminos in aliis disciplinis occurrentes ita explicat, ut ad præscriptum ejus in omnibus aliis scientiis explicandi sint. Et quando reliquæ scientiæ sese principiis Metaphysicis, ut primis confirmare debent. (θ)

6. Huc nonnulli referunt, quod Metaphysica dicatur scientiarum princeps, omnium Domina, scientia honoratissima, quia de objecto omnium honoratissimo, atque simpliciter ultimo, DEO nimirum agit. (ι)

1. OBJECTUM, quod est ENS & INFERIORA Entis, quatenus vel ipsa sunt à materiâ sensibili abstracta, vel quatenus saltem habent prædicata à materiâ sensibili abstracta. (κ)

2. DEFINITIO, quæ est; METAPHYSICA est Scientia, quæ contemplatur ENS & inferiora Entis, quatenus vel ipsa sunt à materiâ sensibili abstracta, vel quatenus habent prædicata à materiâ sensibili abstracta. Genus est scientia: Differentia desumitur ab OBJECTO; hinc est definitio ἐκ προαίσεως. (λ)

A

(A)

3. DIVI-

De Naturâ & Constitutione Metaphysicæ notanda sunt

ONOMATOLOGIA

2. SYNONYMIA vocatur ab ipso Aristotele

PRAGMATOLOGIA, ubi considerandum